Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31275
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



·xd·h·

In hoc apparuit caritas dei in nobis quia filium suum unigenitum misit deus in mundum ut vivamus per eum. In hoc est caritas non quasi nos dilexerimus deum sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Karissimi si deus dilexit nos et nos debemus invicem diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est. In hoc intelligimus quia in eo manemus et ipse in nobis quia de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus et testificamur quia pater misit filium suum salvatorem mundi. Quicumque confessus fuerit quoniam iesus est filius dei deus in eo manet et ipse in deo. Et nos cognovimus et credimus caritati quam habet deus in nobis. Deus caritas est et qui manet in caritate in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est caritas nobiscum ut fiduciam habeamus in die iudicii quia sicut ille est et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate sed perfecta caritas foras mittit timorem quoniam timor pena habet. Qui autem timet non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus deum quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo deum et fratrem suum odit mendax est. Qui non diligit fratrem suum quem videt deum quem non videt quomodo potest diligere. Et mandatum hoc habemus ab eo ut qui diligit deum diligat et fratrem suum.